



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Svcqv̄et E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiae, 1630

Cap. 47. de imitatione Christi

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

CAPVT XLVII.

De nono medio Meditationem atque affectus eius ampliandi, sive de Imitatione Christi.

COMPOSITIO LOCI, ut in imagine. ORATIO,
ut supra.

PUNCTVM I. Considera, Primò, Deum Patrem illis verbis te alloquentem: Vide terræ vermicule, adspice *Ioan. 3.* homo, vapor ad modicum parens: sic ego Deus dilexi mundum & te, ut Filium meum unigenitum darem, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. An vera hæc? obstupesce miser, atque attende quanto amore tale prototypon tibi dederit divina bonitas, infinities perfectius Sanctis omnibus. Adspice quibus coloribus dignatus fuerit illud pingere: est enim in eo candor lucis æternæ & castitatis virginæ imago, & figura substantiæ Patris, coccus & purpura è precioso sanguine agni immaculati. Et considera, precor, an, cum tale dederit exemplar tanto sumptu paratum, è cælo demissum, contemni illud à te deceat & despici. *Aspira, ut sup. pag. 8, Hæcine firma fide, ibid.*

Quanti sit exemplum Christi.

Imaginare Deum Patrem statuere parvulum **JESVM** in medio nostri, & dicere: Nisi quis humiliavit se sicut parvulus iste, non intrabit in regnum cælorum. Adspice ut invitet oculo, manu ad sequelam & amplexus: ergo arcte stringe & amplectere illum, qui cum ter maximus sit, propter te factus est paruulus, & minoratus ab Angelis. Secundò, attende, quòd quemadmodum videre Deum in cælo, est beatitudo summa; ita hîc **JESVM** Christum nosse & imitari, summa sit dignitas & felicitas. Tertiò, quàm triste, ut ita loquar, sit Christo Domino ipsum se statuisse exemplar in cruce tantis cum tormentis, ut te beatum redderet, ut te illi, maxime tu, qui spiritualis esse cupis, conformares, & hoc ipsum à te contemni. *Quartò, Dominum descendisse* *Ioan. 14.* *ex infinito amore de cælo, ut nobis, imò velut tibi soli*

R. 3

viam

viam ostendat, (ipse enim via, veritas & vita) ut te ovem errantem reducat: & eheu! quoties extendis manum tuam, JESV benignissime, & non est qui adspiciat: vocas, & renuimus! ô quàm justè queres per Prophetam tuum: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi! ô quàm luctuosum tibi, bonitas infinita, audire à filiis quos emisti precio magno sanguinis tui, Recede à nobis, scire tuam viam nolumus!

O JESV *amantissime*, ut infrà pag. 633.

PUNCTVM III. Considera, in quo maximè imitari Dòminum JESVM oporteat, & attende Primò, reformandas tibi esse tres potentias animæ tuæ, per peccatum originale plurimùm depravatas. Cogita igitur quàm sanctas in memoria habuerit cogitationes, quàm purum ab omni errore & falsitate intellectum, voluntatem ab omni amore terreno alienam, & infinito Dei Patris repletam. Excute verò tres potentias tuas, & earum vulnera Christi exemplo sanare contende. Secundò, considera qualiter JESVS passiones, quæ versantur circa bona mundi, honestum, utile, delectabile, & velut Jacob & Esau in ventre matris, sic in animâ nostrâ luctantur, ipse refrænârit, & ad meliora concupiscibilem bona transtulerit, & ad mala animæ nostræ irascibilem. Ingredere igitur cor *amantissimi* JESV, Primò, ab omni perturbatione passionum liberum; Secundò, ab intentione obliquâ; Tertiò, à mundanâ delectatione; Quartò, à placendi hominibus desiderio; Quintò, ab inutili cogitatione; Sextò, à superfluâ curâ; Septimò, à noxiâ amaritudine; Octavò, ab inani complacentiâ; Nonò, ab affectu creatæ consolationis; Decimò, ab anxietate; Undecimò, ab impatientiâ; Duodecimò, à propriâ voluntate, maluit enim perdere vitam potiùs, quàm obedientiam: atque illam adedò commendavit, ut centuplum ei promiserit, & decreverit eum, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, suum

non

Isaie 65.
Rom. 8.

Job. 22.

Quale fuerit
cor dulcissi-
mi JESV.

non posse esse discipulum. Animadvertite simul paupertatis virtutem, mansuetudinis, sancti luctus, quanta in Christo esuries iustitiæ, quanta misericordia, cordis mundities, amor pacis, patientia, zelus & humilitas: de qua quod dicit D. Leo, cæteris omnibus virtutibus potest applicari; nulli aspernanda divitum est, nulla est erubescenda nobilium: nec enim in tantum provehi potest felicitas humana fastigium, ut æstimet sibi pendendum, quod Deus in forma servi non est arbitratus indignum. O JESU *amantissime* ut infra pag. 632.

*Leo serm. 2.
de Resur.
recta*

PUNCTUM III. Considera conversationem Sapietiae æternæ, in omni actione suavissimam ac providentissimam. certè nullam unquam, ut Sapiens ait, amaritudinem habuit, sed in omnibus obedientiæ, caritatis, puræ intentionis, devotionis heroica exempla reliquit. Tu itaque similiter numquam à divina voluntate dessecte, neque in opere, neque in modo; sed in adversis & prosperis æquabilis semper eum intueret: quoniam oculi Domini multò plus lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes, in absconditas partes. Non patiaris exempla tam illustria frustra tibi esse proposita. Exemplum enim dedit nobis, ut quomodo ipse fecit, ita & nos faciamus. Et qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulavit & ipse ambulare. Considera præterea, quòd tibi non solum Christus Dominus imitandus sit, sed etiam Pater noster cælestis: sic enim mandatum habemus; Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est. Quocirca mysteria & virtutes humanitatis, veluti ostium esse existima, quo ingrediaris in potentias Domini, & ad considerationem perfectionum illius. Ego enim sum ostium, ait Dominus, per me si quis introierit salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet. Itaque perfectiones Dei, v. g. longanimitatem, prudentiam, sapientiam, liberalitatem & bonitatem,

*Conversa-
tio Christi
Iesu qualis,
Sap. 8.*

Ecclesi 23.

*Ioan. 13.
1. Ioan. 2.*

*Deus imi-
tandus.
Matth. 5.*

Ioan. 10.

*Vide libellū
D. Thomæ
de divinis
moribus.*

R. r. 4. etiam

etiam in tuis actionibus confidera, ac tibi imitandas esse statue, & gratiâ Dei utere, ac prototypon Christum IESVM, in corde tuo depinge, certè ut eleganter Gregorius S. Basilius frater: Suae quisque vitæ pictor est, artifex hujus operis est voluntas, colores sunt virtutes, exemplar Christus esse debet.

Haecine vera, ut supra pag. 7-

Exercitium breuius.

O Speculum sine maculâ, Christe IESV, credo tibi, & in te spero, & toto corde te diligo. Video te Rex regum, Pastor bone, Magister optime, & audio vocem suavissimam: veni, & sic N sequere me, & centuplum accipies, & vitam aeternam possidebis. An credo & spero & non sequor? qui fieri potest: velle quidem adjacet mihi, sed persicere non invenio. Trahe igitur me post te, & sequar te omne bonum quocunque ieris. Verè verè etenim mihi adharere tibi bonum est, & ponere in te Domine IESV spem meam. Amen.

Exercitium longius.

Coloss. 2.
Ioan. 1.
Psalm. 142.

Christus
postulat ut
servus se-
quatur.

Proverb. 12

Psal. 35.

Exod. 25.

O IESV amantissime, limpidissime fons & speculum omnis perfectionis, in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, in quo thesauri scientiæ & sapientiæ Dei reconditi, de plenitudine tuâ omnes accepimus, & gratiam pro gratiâ. Verumtamen avertet adhuc anima mea, & facta est sicut terra sine aqua tibi: necdum necdum transformata est in te. Fac igitur mihi hanc gratiam, ut te imitari, in te esse, vivere, moveri perpetuè queam, ac perfectissima virtutum exempla in me, secundum signaculum tuum exprimere. Nonne enim merito queri potes, si ego servus miser & miserabilis, renuam sequi te: Quid pudebitne? sed gloria magna sequi Dominum, dolebit? sed non contristabit iustum, quidquid ei acciderit, semperq; est rectis corde lætitia, quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Quid igitur me avertet à te, & vestigiis tuis, quæ video sanguine rubere, & lucere igne charitatis? ex osculo & exultro: sentio spargere odorem, quo rapiar in amorem tuum. Tu es exemplar, quod nobis

nobis in monte monstratum, cupio imitari per gratiam, cupio potentias anime mee tibi consecrare.

Procul deinceps sit tumultus cogitationum mundanarum, & Memoria inanium rerum, à memoriâ meâ: ornabo eam caelestium rerum cogitationibus, & auferam de templo tuo, id est, corde meo, hæc N. idola pristina vanitatis meæ. O utinam eorum quæ retrò sunt oblitus, ad ea quæ sunt priora me extenderem, semper de te cogitarem, ex omnibus quæ sensibus concipio, ingrederer in potentias tuas! quàm facile, si hanc clauderem memoria portam, ut facere omninò statuo, omnes animi mei motus sedarem! Nam simul atque huc ingressus est inimicus, aut superbia, ira, luxuriæ scintilla admissa, conturbatur anima mea, & offunduntur intellectui tenebræ, ut te lux vera, quæ illuminas omnem hominem, nequeam, nec rationem, quam mihi ducem dedisti, intueri. Veni lux beatissima, veni hodie, & cum ita digneris, sine bibam de calice tuo, & comedam panem in regno tuo, ut satiet me omne bonum, & intima cordis mei repleat immensa charitas tua, ut noverim me, & noverim te, & quod nihil sint omnia præter te, scio enim, scio, tu solus es, qui es, cetera umbra sunt, & vanitas vanitatum.

Concede verò mihi, ut quæ beneplacita tibi esse cognovero, quæ iusta, bona ac sancta, ea etiam talia ego verè cæcus & insipiens tandem talia esse judicem. Tu sapientissimus enim es, tu potentissimus, optimus, pulcherrimus, dignissimus, ut ab omnibus, & solus diligaris. Tu lux æterna, & sapientia æterna, scrutaris omnia, uti fecisti omnia. Quomodo igitur non credam tibi, sed potius mundo fallaci? Aufer à me, quæso, cæcitatem illam, errorem, & ignorantiam. Da mihi credere Scripturæ tuæ, verbo tuo, & sacris tuis Doctoribus, ac Superioribus meis. Sed cum scienti bonum, & non facienti, peccatum sit illi, da, obsecro, ut quod video bonum, hoc agere me delectet: da voluntatem sanctam, ut nihil velim nisi te, aut propter te: sit mihi cibus facere voluntatem tuam, iudicium proprium abnegare, numquam niti prudentie meæ, sit mihi ut tibi, benignissime **JESU**, fuit cibus facere voluntatem Patris tui, cibus verè & millies suavissimus. Illa enim est norma omnis bonæ voluntatis: quacumque ab hæc de-

Rr 5

flectit,

Memoria
ut excolen-
da.
Philip. 3.

Ioan. 1.

Obedientiæ
exercitium.
Ioan. 4.

flectit, obliqua, & prava, & iniusta est. Outinam unum sit velle tecum, unum iudicium, nihil arbitrer me scire nisi te IESVM, & hunc crucifixum; nihil sperare aut velle queam, nisi fieri voluntatem tuam; ut mea illi unita jam non mea, sed tua, non hominis miseri ac improvidi, sed Dei mei sit, ac deiformis, una sit cum tua, quia tum demum, scio, recta erit, & sancta, & perfecta.

Da mihi, Deus meus, fortitudo mea, ita passiones amoris, odii, gaudii, tristitia, spei, & timoris moderari, ut te, pulcerrime sponse animæ, in pace cordis mei, & hodie & usque ad consummationem sæculi, morari delectet. O quantum bonum habet, qui illas sic reprimat, ut serviant sibi, & tibi, propter te, & pacem habeat, sed, eheu! sæpè hactenus abripior, & servire cogor. Verum tamen ex nunc detestor & abominor eas, & tibi toto cordis affectu dedico, ut serviant tibi omnibus diebus vitæ meæ, & imitator tui existam, creatura Creatoris, mancipium Domini, discipulus Magistri optimi, filius Patris benignissimi. Exaudi, Domine, hoc desiderium meum, ut juxta vocationem meam exprimam vitam tuam, ô speculum omnis perfectionis; in omnibus cogitationibus, verbis & actionibus meis, vitam meam tuæ similem reddam; humiliter, tranquillè, ferventerq; operer secundum voluntatem tuam. sicuti enim palmes non potest ferre fructum nisi manserit in vite, sic nec ego nisi per virtutem in te mansero.

Joan. 15.

Outinam, humillime IESV, cognoscant omnes, quod discipulus tuus sim, non tantum si charitatem habuero (quod est vinculum perfectionis) sed etiam humilitatem, abscondendo virtutes, ut tu gloriam tuam; locum infimum semper petendo, non primas cathedras; quas, sicut & superbiam, detestor, ut pannum menstruata. Desidero tecum, humillime IESV, ambulare: nolo superbire, cum tu te humilias, nec sedere, ubi tu stas, Rex meus, & Deus meus; nec deliciari, ubi caput meum, Christe IESV, cruciari; neque honorari, ubi ignominiam elegisti. Ego, aiebas, non quero gloriam meam, est qui quærat & iudicet: ita ego desidero, sive comedam, sive bibam, sive quid aliud agam, omnia ad gloriam tuam facere; præsentia, caduca & fluxa contemnere; ca-

Joan. 8.

1. Cor. 10.

lestia

lestia & eterna appetere, tibi mere resignare, & omnia accipere de manu tuâ amabilissimâ per gratiam tuam. Amen.

Praxis ad Christi imitationem dirigens.

PRIMA. In omni dubio, cum hæres quid tibi dicendum vel agendum sit, considera, quomodo Christus IESVS, Sapientia æterna ea diceret aut faceret, & gratiam illius implora, ut eum valeas imitari.

*Christus sit
in omnibus
exemplar.*

Secunda. Aliquando in examine idem cogita, & animadvertite, quomodo in hoc, vel illo, Dominus IESVS sese gessisset, qualiter locutus fuisset, quid egisset.

Tertia. Cum vitam tuam ordinare, actionesque tuas volueris in secessu & quiete, finge Christum Dominum tibi præsentem, & actiones singulas ad illius normam compone ac dirige.

Quarta. Cum mandatum cæleste acceperimus à Deo Patre, ut audiamus Christum Dominum & imitemur: ab Apostolis enim in monte Thabor calitus hæc vox audita est: Hic est filius meus dilectus in quo mihi benè complacui, ipsum audite; necesse ut quoad fieri potest illud impleamus. Ideo enim Verbum caro factum est, & habitavit nobiscum, ut exemplo suo nos invitaret, & homo sese ei conformaret. Quapropter qui vult ad perfectionem contendere, & ad vitâ ingredi, faciat quod S. Bernardus fecisse se profiteretur: Meditationem instituat de vitâ & morte Christi Domini nostri, & ex illâ & ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus illius colligat sibi fasciculum myrrhæ, qui inter ubera sua commoretur, id est, perpetuò oculis observetur, Licet enim variæ sint Meditationis materiæ, hæc tamen una instar omnium est, hæc ostium ad omnem virtutem & contemplationem, quod Dominus innuere etiam voluit dicēs, Ego sum ostium, per me si quis introierit salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet. Ad quod eleganter & suaviter Bernard. IESVS, inquit, est mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed est & medicina. tristatur aliquis nostrum: veniat in cor IESVS, & inde saliat in os, & ecce ad exortum huius nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando? nõnne, si invocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam. Cui aliquando stetit ante faciem salutaris nominis, duritia ut assolet cordis, ignaviæ torpor, languor acedia? cui fons fortè siccatus lacrymarum invocato IESV, non continuo erupit uberius? Nihil ita iræ imperum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat livoris vulnus, extinguit libidinis

Matth. 17.

*Meditatio
de vitâ
Christi
quàm utilis.
Bern ser. 43.
in Cant.
Ioan. 10.*

*Serm. 15. in
Cant.*

*Memoria
IESV quàm
dulcis &
utilis.*

*Qualem
oporteat
contēplari.*

*Electuariū
anime IESVS.*

*Cant. 8.
Bonavent.
stim. diuin.
cap. 1.
Passionis
Meditatio
utilissima.*

libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. Siquidem cum omnino IESVM, hominē mihi propono, mitem & humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, & omni denique honestate ac sanctitate conspicuum, eundemque ipsum Deum omnipotentem, quī suo me & exemplo sanet, & roborēt adjutorio. Hæc omnia mihi sonant, dum insonuerit IESVS. Summo igitur mihi exēpla de homine, & auxilium à potente: illa tamquam pigmentarias species, hoc tamquam unde acuam eas, & facio confectionem, cui similem medicorum facere potest nemo. Hoc tibi electuariū habes, ð anima mea, reconditum in vasculo vocabuli huius, quod est IESVS, salutiferum certè, & quod nulli umquam pesti tuæ inveniatur inefficax. Semper tibi in sinu sit, semper in manu, quò tui omnes in IESVM & sensus dirigantur & actus. Pone me, inquit. signaculum in corde tuo, signaculum in brachio tuo. S. Bonaventura verò sic ait: Venerabilis passionis Christi continua & devota Meditatio mentem ab huius sæculi mundanis & carnalibus concupiscentis sequestrabit, cor tuum ad spiritualia & cælestia sublevabit, quid cogitandum sit, quid loquendum, quid respondendum, quid tacendum, quid vel qualiter agendum, tibi veraciter indicabit.

Dignatus es, ut supr. pag. 10.

JACVLATORIÆ.

- Pfalm. 33.** **A**Vdi Dominum quasi tibi loquentem: *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos.*
- Ibidem.** *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestra non confundentur.*
- Matth. 16.** *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.*
- Ioan. 13.** *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciat.*



XXII

26

VIGESIMÆSEXTÆ IMAGINIS

ANNOTATIO.

Attende beneficia ac dona Dei, quibus ad virtutem N. meritò provocâris.

Considera beneficia, quibus ad virtutem te invitât Deus: **A** creationis, **B** incarnationis, **C** redemptionis, **D** Sacramentorum & gratiarum. Deus enim te **E** pascit ac vestit, **F** liberat à multis malis atque miseriis, & per **G.** Angelos suos dona mittit, ut olim **H** Israëlitis. Deus **I** pluvias. **K** solem, **L** & incrementa frugum ad tuos usus & oblectamenta offert, ut tu **M** virtutem sequaris. Cumq; hæc omnia Deus ex summa **N** charitate faciat, non liqueſces viciffim amore? equidem par est ut virtutem, etſi per ſe amabilis eſt, vitiumq; abominabile, amore Dei ac Domini noſtri, & ob beneficia quibus prævenit nos, amplectamur.

CAPUT